



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VIII. Explicatur canon ille, ut ostendatur Episcopum Arelatensem fuisse tum Metropolitanum in provincia Viennensi. Patres Concilij Taurinensis provinciam diviserunt, ut concordiam retinerent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

Ann. Marcell.
lib. 17.

mianus Marcellinus eam vocet multarum urbium decus, & Gallulam Romam Aufonius in libro de urbibus. Translata verò illuc sede præfecturæ Galliarum à Valentiniano Imp. post eadem Maximi Tyranni, ut ego quidem arbitror, cumulata sunt in eam civitatem omnia civilis administrationis decora & ornamenta, urbsque ipsa facta metropoli Galliarum, ut colligi potest ex rescripto Honorij ad Agricolum P. P. Galliarum, ubi Arelatensis urbs dicitur esse metropolis Septem provinciarum. Solebant enim olim Principes (ut observatum est ab illustrissimo Archiepiscopo) dividere provincias pro suo arbitrio, & novas quoque metropoles condebant, quarum Episcopi simul evchebantur ad dignitatem Metropolitanorum. Itaque ex honore civili Arelatensis urbis descendisse puto honorem ecclesiasticum, tentante nimirum Episcopo urbis illius in se trahere ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis, quæ antea pleno jure pertinerant ad Viennensem Metropolitanum. Illum ista præsumpsisse non ita multo post eadem Maximi docet canon secundus Concilij Taurinensis habiti anno cccxcvii. in quo sic legitur: *Illud deinde inter Episcopos urbium Arelatensis & Viennensis, qui de primatus apud nos honore certabant, à sancta synodo definitum est, ut qui ex eis approbaverit suam civitatem esse metropolim, is totius provinciæ honorem primatus obtineat, & ipse juxta canonum præceptum ordinationum habeat potestatem. Certe ad pacis vinculum conservandum hoc consilio utiliore decretum est, ut si placet memoratarum urbium Episcopis, unaquæque de his viciniores sibi intra provinciam vindicet civitates, atque eas Ecclesias visitet quas oppidis suis vicinas magis esse constiterit; ita ut memores unanimitatis atque concordie, non alter alterum, longius sibi usurpando quod est alij proprius, inquietet.*

VIII. Integrum canonem retuli, ut ostenderem tum Arelatem fuisse urbem metropolitanam. Frustra enim definirent patres hunc totius provinciæ honorem primatus habiturum qui approbaret suam civitatem esse metropolim, si nulla ex hoc capite controversia fuisset inter Viennensem Episcopum & Arelatensem, quæ nulla esse poterat, si Arelas non fuisset tum metropolis. Compertum habebant Viennam esse veterem provinciæ metropolim, adeoque ad illam secundum ecclesiasticas regulas pertinere ordinationes Episcoporum provinciæ Viennensis. Sed quia tum Arelas erat metropolis Galliarum in ordine civili, contendebatque haud dubie ob eam causam Episcopus Arelatensis transfisse ad suam Ecclesiam à Viennensi jura ordinationum, quòd Vienna tum contributa

Tom. II.

esset Arelatensi urbi, patres in synodo Taurinensi congregati in his angustiis constituti, obscuro & ambiguo dicendi genere interlocuti sunt eam civitatem frui debere honore primatus quæ doceret se esse provinciæ metropolim; dato interim ad fovendam concordiam Episcopis consilio, ut quisque viciniore sibi civitates ad suam curam revocaret. Ea sola via patebat exeundi ex his difficultatibus, qua & Viennensis Ecclesiæ jurius non derogarent in universum, & Arelatensi urbi, penes quam civilis tum administrationis fastigium erat, injuriosi non existerent, nève illius Episcopum exasperarent, si quid contra illum decernerent. Sciebant enim injurias ægrè tolerari, & ut ait Tacitus, proclivius esse injuriæ quàm beneficio vicem exsolvere; quia gratia oneri, ultio in quaestu habetur. Viennensem Episcopum minorem tum esse Arelatensi & imparè istum verò non depositurum memoriam acceptæ injuriæ, & si occasio daretur, ultimum adversis unumquemque Episcoporum, quos facile illi esset opprimere apud illustrissimam præfecturæ potestatem. in maximi porrò beneficij loco habiturum Viennensem quòd aliquas civitates retineret judicio synodi. Ea de causa provinciam diviserunt, cujus maxima pars concessa est Episcopo Arelatensi.

IX. Quoniam verò proum est ambitioni nelabi, ei præsertim qui versatur inter summas potestates & apud illas in honore est, Arelatensis Episcopus, qui magna parte provinciæ depulerat Episcopum Viennensem, totam sibi subicere meditatus est, ac non solum illam, sed etiam duas Narbonenses, quæ in vicino erant. Sed quia prævidebat magnam ex hoc capite futuram esse contradictionem Metropolitanorum harum provinciarum, qui ægrè paterentur adimi sibi provincialium suorum ordinationes, Zozimum Pontificem Romanum putavit in partes trahendum esse, ut ejus auctoritate hanc sibi potestatem vindicaret in illis provinciis. Itaque falsa suggestionem ad eum data significavit pati se contradictionem in ordinandis Episcopis harum provinciarum, præsertim à Proculo Massiliensi Episcopo & à Viennensi, qui in Concilio Taurinensi contenderant ad se pertinere consecrationes Episcoporum, hic quidem secundæ Narbonensis, iste verò provinciæ Viennensis; cum tamen Arelatensis Episcopus jam inde à Trophimo ordinationis seriem temporibus roboratam possederit, non solum in provincia Viennensi, sed etiam in utraque Narbonensi: quoniam Trophimus sacerdos quondam Arelatensi urbi ab apostolica sede transfusus ad illas regiones tanti nominis reverentiam primus exhibuit, & in aliis

M ij

Tacit. lib. 4.
Hist.

Marci in lib. de
Primat. p. 21. 66
81. & in epistola
ad Titum. Valeo.

Zozim. epist. 7. 81.

Vide R. P. G.
lib. in Notis
Frambach. p.
174. 175.

Marci in lib.
Primat. p. 21.
81. & in epistola
ad Titum.
pag. 81.

Ann. Marcell.
lib. 17.
Vide C. N. p.
lib. in lib. de
Primat. pag. 41.